



# PRÆFATIO AD LECTOREM.

Communis eorum qui Dissertationis Inauguralis Specimen edunt, querela est, nullam fere amplius superesse materiam, quæ non ab aliis jam tum præoccupata atque satis ventilata sit; hancque non abs re esse, inficias iri nequit, unde saepius evenire solet, ut specimina hæcce, vel ex charta in Papyrus redigantur, vel subtilia aut societati civili inutilia tractent. Ego equidem, qui non ambitione sed rerum circumstantiis ad dignitatem Doctoralem capessendam commotus fui, haud diffiteor, commu-

A 2 nissimam

6 (4) 30

---

nissimam esse, quam hic de communione Bonorum Conjugali sisto, materiam, & ab aliis in orbe eruditorum clarissimis viris, uti ex allegatis Autoribus patet, doctissime jam jam traditam, sed cum in Statutis nostris Svinfurtensibus specialia quædam circa eam contineantur, me casus in praxi quotidie se offerentes, de illa differendi moverunt. Textus huc facientes in extenso inferendos propterea necessarium duxi, ne ex cerebro, aliarumque Provinciarum Ordinationibus & Consuetudinibus hæc solummodo deduxisse videar, §§phorum vero ut connexio, principiique nostri veritas eo clarius elucescat. Interea, si quid humani irrepserit istud, pro humanitate tua, BENEVOLE LECTOR excusa, & si, quæ hic scripta sunt, approbationem tuam non merentur, ad minimum votum meum lauda, quod hoc est, ut omnibus viris dissolutis ad depauperandas uxores & circumveniendos credidores janua obcludatur, TU vero, ut optime valeas, mihi que favere pergas.

missimus

S. A.

B. C. D.

A Nt  
bu  
n  
faeras leges i  
norum sacr  
domina eff  
deret hæres  
decederet,  
storicus ille  
LICARNA  
Hancque in  
dam esse PLI